

bus duxerint deputandos. Nec de ipsis locis et terris ullo unquam tempore per nos, successores nostros, uel alios nos intromitemus uel impediemus. Renuntiantes ac in eos transferrentes ius, si quod acquisiuissemus in eis. Ita tamen, quod ipsas terras, castra, et loca, et subditos earum, nec non omnes amicos, adhaerentes, et sequaces nostros tam nobiles, quam ignobiles tractent dulciter et benigne, remissis omnibus iniurijs et offensis, et sicut faciebant ante nouitates praesentis guerrae, et sicut si nobis numquam adhaesissent. Et e conuerso nos promittimus facere et seruare de omnibus amicis, adhaerentibus, et sequacibus suis tam nobilibus, quam ignobilibus. Item quod captivi ex utraque parte libere relaxentur. Item quod ex utraque parte remittantur, et ex nunc remissae intelligantur omnes offensiones, iniuriae, et dampna praeterita, non intelligendo debita, quibus sibi inuicem tenerentur spetiales personae, de quibus fiat iustitia hinc inde. Item, quod bona fide prohibebimus et ordinabimus cum effectu, quod in aliqua terrarum, seu Insularum, aut locorum, quae peruenturae sunt ad nostrum dominium, et quae iam peruenerunt, non armabitur in cūsum, neque exercebitur piratica, seu damnum aut uolentia aliquibus nauigantibus, nec receptabuntur in eorum portibus cursarij, et malefici, sed potius turbabuntur et arcebuntur, sicut decet Regiam iustitiam et honorem: et e conuerso in eorum terris et insulis ipsi promiserunt se facturos illud idem. Praeterea promittimus uerbo nostro regio uniuersos et singulos ciues, subditos et fideles ipsius Domini Ducis, et communis Venetiarum, uenientes ad terras, portus et Insulas, et loca quaeque subdita praesentialiter et in futurum maiestati nostrae, habere et haberi facere saluos, et securos cum personis, bonis et nauigijs, atque rebus eorundem; quod secure, et quiete possint ire, stare et redire, ac transire per dictos portus, terras et loca cum nauigijs, personis et mercimonijs suis, ymo ipsos tractabimus et tractari uolumus dulciter et benigne sub fauore et gratia nostra: et e contra idem dominus Dux et commune tractabit nostros tali uinculo interiecto in praedictis omnibus et singulis. Quod si partium aliqua huic ordinationi et dispositioni concordiae, atque paci niteretur contraire, et eam infringere, uel uiolare conaretur, aliquas terras, castra, insulas aut portus de ijs, quae renuntiata sunt occupando, uel aliter paci contrafaciendo, ex tunc pars altera id Sedi Apostolicae intimare debeat, et dominus Papa uigore emologationis (sic) et potestatis datae per nos, et per ipsos tenore praesentium litterarum, teneatur et uelit infra spatium unius mensis simpliciter, et de plano, absque strepitu et figura iudicij, solum recepta fide et certificatione uiolationis et infractionis antedictae, ad obseruantiam dictae ordinationis et dispositionis illum, uel illos astringere, et censura Ecclesiastica mediante in personas, uel communitatem contrafacientem sententias uidelicet interdicti et excommunicationis proferendo, a qua nullatenus absoluantur, donec per partem praedictam infringentem, uel infringere procurantem, parti alteri obseruanti satisfiat, prout erit iustum, illum, uel illos, nihilominus denunciando fidefragos et periuros. Si autem aliqua damna, uel iniuriae, aut offensiones committerentur per subditos utrorumque alterutrum, ex tunc per nos, uel nostros Officiales locorum ipsorum, et Rectores pertinentibus ad eosdem, et per ipsos, uel eorum Rectores et Officiales pertinentibus ad nos infra spatium unius mensis a tempore depositae quaerellae plenaria satisfactio impendatur, nec per hoc ordinatio et dispositio, concordia et pax intelligantur uiolatae, sed in sua firmitate debeant permanere, ad quae nos, et ipsi, spontanea nos obligamus uoluntate. Praemissa